



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

XX. Ad plebanos, & Rusticos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

nem totius Curiæ Cœlestis *Lytanias de omnibus sanctis.* Vel: Tria Rosaria de omnibus quindecim Mysteriis. Faciamus nobis amicos, non de mammona, sed de cœlesti aula. Fratres! Jam non sumus hospites, & advenæ, sed cives domestici, & milites Christi. Vade retro satana!

## EXHORTATIUNCULA XX.

## Ad Plebanos, &amp; Rusticos.

## I.

BOne vir! In sudore vultûs sui vesci debet pane suo. Non contristetur! Non murmurret contra Dominum! Absterget Deus lacrymas ab oculis vestris, & laborem sequetur dulcis requies. Ad laborem nati sumus universi: Sed qui laborant fervidè, sunt paucissimi. Sudemus, ut in vinea Domini operarii inveniantur innumeri. Hoc possumus, dum labori non succumbimus.

*Instructio meritoria.*

Ne humana nos terreat infirmitas, manè surgentes de lecto citò vestibus induamur, & flectentes cum SSS. Trinitate paciscamur, nil cogitare, nil loqui, vel operari nos velle hac die, nisi in & pro nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Mox duodecim Pater, & Ave cum totidem *Gloria Patri* subdamus. Surgentes verò domum benedicamus, Crucifixum in dextera tenentes, & versus quatuor domûs angulos flectentes pronuntiandô: Benedi † cat nos

nos Deus Pater, Fi † lius, & Spiritus † San-  
ctus. Sic sic avertemus, si quæ fortè meruimus,  
flagella Domini.

## II.

**F**illi! simus contenti statu nostro! Non invi-  
deamus, quos Deus posuit in meliori. Se-  
curior ad cœlum via est in humilitate, & penu-  
ria rerum, quam in nobilitate & abundantia.  
Ubi divitiae, & honores, ibi & sollicitudines  
millenæ, ne auferantur, vel pereant. Sola pau-  
pertas semper hilaris, semper eadem permanet  
vultu, & animo. Ideò S. Hieronymus: O  
quanta beatitudo, carere parvis, ut recipiamus  
perpetua!

*Instructio meritoria.*

Pro statu, ad quem tam providè nos vocavit  
Deus, gratias agamus! Simus & gratissimi,  
quia nati à parentibus non ita potentibus. In  
compensationem beneficij tanti addictissimi viva-  
mus prodigiosæ ætati Christi JEsu, & in hono-  
rem illius aliquoties per hebdomadem recitemus  
34. *Pater, & Ave, benè memores: Nudus, pau-*  
*per, inops est JEsus: Quid ego.*

## III.

**D**ilekte Vir! Magna est vobis indita necessitas,  
justè, & rectè, ubi ubi fuerit, sive domi,  
sive in agro, sive in foro, vivendi; quia cuncta  
facitis ante oculos Judicis cuncta cernentis.  
Quare in omnibus viis cogitate illum, & ipse di-  
riget gressus vestros. Non irascimini, si opera  
vobis

vobis successerint minùs prospera! Dicite: *Fit  
at, quod bonum in oculis Domini!*

*Instructio meritoria.*

Dum opera, & labores aggredimur, flecta-  
mus anteà, & tribùs Pater & Ave cum Credo  
Dei imploremus auxilium, atque assistentiam.  
Hanc consuetudinem si induxerimus, quàm be-  
nedita erunt opera nostra! Quàm sancta, &  
perfecta œconomia domestica! Sentient infan-  
tes! Sentient oves, & boves! In quibus omni-  
bus manifestabitur Dei clementia.

EXHORTATIUNCULA XXI.

Ad tepidos, frigidos, & otiosos Chri-  
stianos.

I.

**F**illi! Usquequò pigri, & desidiosi dormiemus?  
usquequò de torpore, & somno mortis non  
consurgemus? Hora est! Surgamus! Grandis  
nobis restat via! Ad æternitatem pergimus: &  
otiosi, frigidi stamus, tepescimus, pigritamus?  
Currendò scanditur cœlum! otiandò perditur!  
Nemo manibûs in sacculo absconditis sibi the-  
saurizat. Dilecte! Quæ verba sunt ista? Dicta  
sunt ad vestram doctrinam: Capite! Ardete!

*Instructio meritoria.*

Cessat vitæ desidia, ubi ad opera diei applica-  
tio sui seria. Multiloquia fugiamus! Otia fo-  
rensis deseramus, & piis de manè factis propo-  
sit is efficaciter insistamus. Sic erimus in igne.  
Hunc fervoris ignem ut accendamus magis, co-  
ram